

Jacobi Wittichii Oratio de iniquitate et inutilitate tormentorum in quaestionibus reorum. Publice dicta.

Contributors

Wittich, Jacob, 1671-1739.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Samuelem Luchtmans, 1736.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mj42bgz5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JACOBI WITTICHII
ORATIO

DE

INIQUITATE ET INUTILITATE
TORMENTORUM

IN

QUÆSTIONIBUS REORUM.

DICTA PUBLICE

Octavo Februarii Anni C1736XXXVI.

Cum Magistratu Academico abiret.



LUGDUNI BATAVORUM,

ad SAMUELEM LUCHTMANS, 1736.

Academiae Typographum.

JACOBI WITTECHINI
OPUS

DE
INTEGRITATE ET INUTILITATE
TORMENTORUM

IN
QUESTIONIBUS REORUM.

DICTA PUBLICE

Obiit Februarii Anni MDCCCXXXVI

Cum Magistram Academico obierit



LUDWIG BAYNORUM,
SAMUELEM LUCHTMANS, 1736

Academia Typographica

ILLUSTRISSIMIS & AMPLISSIMIS

ACADEMIÆ BATAVÆ

CURATORIBUS

JOHANNI HENRICO

COMITI WASSENAARIÆ,

BARONI DE WASSENAAR,

Toparchæ Opdamii, Hensbroek, Zuydwyk, Kernchem
& Laege &c. Equitibus Hierosolymitanis Sancti Johannis
Adscripto, Hollandiæ Nobili, ad supremum Fœderati Bel-
gii Confessum Delegato &c.

ARENTIO BRUNONIS

VANDER DUSSEN, JCto.

Civitatis Delphensis Viro Consulari, Societatis Indiæ O-
rientalis Moderatori &c.

CORNELIO SYLVIO, JCto.

Civitatis Harlemensis Viro Consulari, Territorii Brede-
rodii Prætori, Ejusdemque Ærarii, ut & Sylvarum ac rei
Venaticæ præfecto &c.

NEC NON
NOBILISSIMIS & AMPLISSIMIS
URBIS LEIDÆ

CONSULIBUS,
WILHELMO PAATS, JCto.

JOHANNI VANDEN BERGH, JCto.
Rhenolandia Prætori summo, Ejusque Aggerum, Via-
rum, & Aquarum Præfecto.

GERARDO AMELIS VAN
HOOGVEEN, JCto.

PETRO VAN HOOGMADÉ.

UT ET
CONSULTISSIMO VIRO

DAVIDI VAN ROYEN, JCto.

Amplissimis Consulibus nec non Illust. Academiae Curato-
ribus ab Actis.

Orationem hanc sacram faeit

JACOBUS WITTICHIUS.

JACOBI WITTICHI
 O R A T I O
 D E
 INIQUITATE ET INUTILITATE
 TORMENTORUM
 I N
 QUÆSTIONIBUS REORUM.

Socrates, cum haurienda cicuta esset, vinculis ab undecemviris solutus, manu fricans membra à vinculis arctata, & pressa, voluptatem sentiens, agebat: mirum sibi videri, dolorem ac voluptatem affectiones plane contrarias arctissime esse colligatas, adeo ut iisdem locis desineret una, inciperet altera. Majorem profecto admirationem: ac diligentio-rem considerationem mea opinione meretur arctissima virtutum & vitiorum affinitas, quamvis re ipsa magnis distent intervallis, immensumque dissideant. Quotusquisque enim est: quem vitia specie virtutum non fallant? avarus frugalem mentitur: prodigus liberalitatis laudem consequitur;

tur ; superstitiosi & Histriones pietatis specie se commendant, crudelitas ac saevitia justitiae laudem affectant. Si dein in mores abierint vitia, profusa vera rerum vocabula amittuntur, ebrietas Hilartas: adulatio amicitia: socordia modestia: malarum rerum audacia fortitudo vocatur. Idem in vero & falso animadvertitur, opinio etiam falsissima modum multorum animos occupavit, non sine secus sententium contumelia, velut veritas certissima inculcatur, propagatur ac latissime diffunditur. Prout medici arte & industria atrocissimos morbos profligare norunt, in chronicis vero magnam habentibus affinitatem cum sanitatis statu inutilem saepe suam operam experiuntur & colluctari cum ipsa pertinacia coguntur, radices altas: quas egerunt excindere desperantes: nihilominus prudentia sua eos lenire & mitigare ne in absolutam hominum perniciem se diffundant, omni ope conantur. Sic pariter viri sapientissimi, qui vitia & errores accurate à veris & rectis non sine magna industria distinguunt, falsas opiniones voce & scriptis ex hominum animis evellere, aut saltem corrigere & emendare, ne genus humanum profundo errorum ac vitiorum mergatur, laborant. Errores quid nisi animorum morbi? Perniciosiores: quod ipsum occupent

cupent animum veritatis & virtutis sedem, ac felicitatis arcem, ferociores autem & magis effraenati, quo altiores radices temporis diuturnitate egerunt, eos consequenter extirpare res est haud duntaxat magni laboris sed & invidiae plena. Non lubet molestias enarrare, quas passim viri docti tolerârunt, non aliam ob causam, nisi quod falsas opiniones illas, quibus quasi tempestate quadam delati homines velut saxo adhaerent, tollere rationibus conati fuerint. Non est animus infandum renovare dolorem, ac narrare: quibus clamoribus exagitati, quas miseras: imo carceres & compedes ferre coacti fuerint viri quovis elogio digni, qui honesto veri amore incoctum pectus opposuerunt grassantibus erroribus & vitiis. Cui sunt ignotae miseriae, quas Magnus Galileus ob terram mobilem contra communem opinionem assertam pertulit. Quam acerbis convitiis confossi viri docti, qui cometas instar aliorum planetarum nullam Dei iram, nulla bella: nullas calamitatas: nec secundam nec adversam fortunam denuntiare ostenderunt. Homines more magis quam iudicio, alius alium quasi prudentiorem sequi, magis credere: quam laboriosum verum investigare; in juventute à parentibus à Magistris accepta velut oracula venerari, ac animo

submisso amplecti, pro iis tanquam pro aris & focis pugnare solent. At erectioris animi, ac generosioris indolis qui sunt, nihil amplecti quod ratione non nitatur, etiamsi à popularibus opinionibus longe discedat, consueverunt. Via trita quidem tuta modo veritate non consuetudine aut falsis iudiciis dirigatur. Communissima & cunctorum fere mortalium animos occupans est opinio de necessitate & iustitia tormentorum in tribunalibus, quaeque in quotidianum usum fere in toto terrarum orbe deducuntur, nec hæctenus multum iuvit virorum quorundam eruditissimorum labor, qui scriptis crudelitatem & sævitiam hujus consuetudinis monstrârunt. Res est difficillima corrigere illa, quæ à teneris imbiberunt homines, præsertim in regnis & civitatibus teste omni ævo res timoris & periculi plena est mutare ea, quæ communi civium opinione nituntur. Quantæ molis fuit ante bina sæcula religionem à sordibus à multo tempore contractis purgare, ac pristinae simplicitati & nitore restituere? quæ turbæ fuerunt dissipandæ! qui motus sedandi! quæ bella superanda! adde nihil esse in regimine civili, quantumvis iniquissimum & pessimum, ex quo impuri sua commoda non hauriant, similes araneis venenata in suum usum vertentibus, qui-

quique manibus pedibusque obstrepunt & ad-
 versantur emendationi humano generi etiam nocentis-
 simorum. Nihilominus prout in corporibus hu-
 manis etiam sanissimis quotidie aggeritur aliquid,
 quod temporis tractu gravissimum morbum, aut
 interitum ac exitium efficiat, nisi tempestive per
 idonea remedia perniciosum illud mutetur & tolla-
 tur, ac ad pristinum sanitatis statum reducatur. In
 civitatibus idem contingere putandum est. Quam-
 obrem sapientes rectores ac boni cives habent,
 quod medicorum prudentiam imitentur. Fessus sum
 quidem multorum labores non solum inanes, sed &
 sæpissime in præmii vicem multis mulctari malis.
 Hoc ipsum tamen minime nisi animos pusillos, &
 adversantis fortunæ impatientes deterrere potest,
 contra enim audentius eundem, & fortia opponen-
 da sunt pectora. Hoc est boni viri officium quavis
 opportunitate voce ac scriptis hominum emendare
 mores, eorumque errores detegere. De rebus iis-
 dem quo plures agant, eo facilius veritatis cogni-
 tio sibi viam pandit, noxique errores melius ex
 mortalium animis extrahuntur radicitus, cum lecto-
 rum & auditorum alii his potius quam illis fermo-
 nibus aut scriptoribus delectentur, quamvis de eo-
 dem argumento commentatis. Nemo itaque mihi

vitio vertet, quod post multos alios *de iniquitate ac injustitia imo inutilitate tormentorum in quaestionibus reorum* hac hora dicere decreverim. Argumentum hoc prout omnium intelligentiae accommodatum, ita à persona judicis, quam hoc anno sustinui, non est alienum: isque mihi omnium optime Philosophari videtur, qui non qualescunque hominum errores detegere, sed opiniones falsas vitæ & societati humanæ noxias firmissimis evertere conatur rationibus. Novi me meo metiri pede, nec adeo suffenus sum: ut arbitrer me hoc sermone velut ariete inveteratas opiniones tot doctissimorum virorum sententiis suffultas, ac usu diutino confirmatas prostraturum, ac ex hominum animis sublaturum. Lætabor: modo vobis persuadere queam, rem hanc vestra attentione esse dignissimam, ac mereri: ut sapientia vestra rationum momenta æqua lance libretis. Quapropter ut benevolas aures & animum anteceptis opinionibus vacuum adhibere velitis, humanissime rogo.

Non est animus undequaue corradere sine discrimine ullo quascunque ratiunculas, quandoquidem toto coelo differre veri nominis demonstrationes à qualibuscunque probationibus, quibus ad summum verisimilitudo quædam adstruitur, scio.
ipsam

Ipsam igitur rei arcem invadam, & ipsa fundamenta, quibus hujus saevitiae patroni nituntur, examinabo.

Accusatore non probante absolvendum esse reum cuncti asseverant, exceptis sceleribus atrocioribus, in illis absque ulla alia probatione criminis confessionem firmissimum puniendi fundamentum autumant. Quasi causæ graviores non exigent firmiores rationes? Profecto quotquot sunt mortales, qui naturale lumen venerantur, vos tormentorum fabros optimo jure ratiocinandi inscitiae arguent. Si quæ res meridiana luce clariores exigat probationes, ea est, quæ salutem hominis concernit: quo itaque atrocius crimen, eo accuratior & solidior requiritur probatio. Cernitis quam insolitum & difficile sit cohærenter ratiocinari! præjudicatas opiniones commiscere cum veris frequentissime fit, inde tot repugnantes nascuntur sententiæ. Solis Mathematicis laus hæc debetur, quod cohærenter argumententur. Verum enim vero non est: quod diutius his immoremur. Suorum delictorum confessio quod est diametro rationi repugnet, & judici prudenter agenti inutilis fit, demonstrabo. Cunctæ res conantur suum statum tueri & conservare, adeoque omnis homo simul ac natus est, ipse sibi conciliatur, & commendatur ad
se

se conservandum, & ad suum statum, & ad ea quæ conservantia sunt ejus status diligenda, alienatur autem ab interitu, iisque rebus quæ exitium videntur afferre. Id tota quam late patet rerum natura evincit. Si quæ differentia esset, illa forte exinde derivaretur quorundam opinione, quod homines sensu & intelligentia sint præditi. Sed ratio nihil contra naturam postulat, verum flagitat ipsa, ut quisque se ipsum amet, suum verum utile quærat, & quantum in se est, quilibet se conservare conetur. Quæ cum ita sint: vel me tacente intelligitur, neminem teneri propriam revelare turpitudinem, & ea fateri, per quæ sibi damna, ærumnas attrahere possit, multo minus, quibus sibi interitum & mortem acerbissimam ac execrandam, uxori, liberis, consanguineis flebilem ac infamem pariat. Siquidem rationi & ipsi naturæ humanæ repugnet, gladio aliisque armis aut mediis se occidere, igitur confessio perpetrati latrocinii vel homicidii, aut aliorum atrocium scelerum, quandoquidem cum certissimo excidio conjuncta, æque rationi adversa & damnanda est. Hoc satis mirari nequeo ipsos tormentorum patronos largiri liberaliter, neminem teneri propriam revelare turpitudinem. Quid quæso hoc aliud est, quam pronun-

cia-

ciare: quod iniquissimum sit exigere scelerum confessionem? modo vere ratiocinari scirent, nec anteceptas commiscerent cum rationibus opiniones, ac sibi in os contradicerent. Deploranda jure merito humani ingenii imbecillitas, qua labuntur haud solum in multiplices errores, quibus se ipsos deformant, sed mortales alios magna afficiunt injuria.

Aliquis fortean regeret naturalem statum hac in parte mutari jure civili; extra dubitationis aleam esse, quod in statu naturali ex sua opinione vitam instituat quilibet, nec alii nisi sibi morem gerat, contra in statu civili omnes non ex suo sed magistratus judicio vitam moderari debent, ac legibus civitatis obtemperare, etiamsi contra propriam militent utilitatem, quod suprema jusserit potestas, id bonum & justum esse judicari debet. Ex quibus videre est magnum discrimen, utrum quis in statu naturali aut civili vixerit. Unde confici videtur magistratu jubente cives obligatos esse sua confiteri facta. Ultro largior cives non sui, sed civitatis juris esse, num ideo quicquid voluerit, jusseritque princeps, id constringere subditos debet? nemo sanæ mentis hoc affirmaverit. Profecto stultissimum & absurdissimum foret, si magistratus civibus suis præciperet coelum digito tangere, Deum negare,

aut talia à quibus humana natura adeo abhorret, ut omni malo pejora habeat, nimirum ut se cruciet, parentes suos interficiat, aut mortem vitare non conetur, & similia, ad quæ nullis præmiis aut minis ullus mortalium induci potest. Nam civitas nullum habet jus, nisi ad ea: quæ præmiis vel minis obtinere potest. Hi sunt limites: intra quos magistratum potestas continetur. Exigere autem criminum confessionem nihil aliud est, nisi jubere: ut homo contra se testem agat, sive ut suum excidium procuret, ac mortem non vitet. Nonne princeps habet jus, dicetur forsitan, subditis mandandi, ut in militiam proficiscantur, id est imperandi ut mortem non declinent? ex quo videtur consequi, jure imperantes quoque exigere posse delictorum confessionem, quamvis eam pro certo sequatur ultimum supplicium. At at præter alia: quæ hic responderi possent, hoc duntaxat animadverti volo, quod injusta bella movere, subditorum bona, fortunas ac vitam in discrimen adducere, non fit principem agere, sed tyrannum: verum non agimus de tyrannide, ast de jure: quod magistratus habet in cives. In justis & legitimis bellis per arma civium defenditur vita juxta & fortuna uxorum ac liberorum, atque populi conficitur salus, longe enim

enim præstat fortiter ac strenue nostra tueri bona, & vim vi repellere, quam ignavissime nudum & inermem se spoliandum & jugulandum præbere. Quantum itaque cœlum à terra distat, tantum justitia armorum pro salute reipublicæ differt ab injustitia in exigendis scelerum confessionibus. Etenim nisi omnia me fallant, firmissime demonstravi: nullo jure teneri cives semet ipsos prodere, ac contra se testimonium dicere. Quare nullus sui accusator fidem ullam meretur, nec ullus judex in tali criminum confessione ullum habere potest firmum condemnandi fundamentum. Qui non tenetur sua revelare delicta, is jure fingere quæcunque potest, ut mortis effugiat periculum. Si nulla obligatio, nulla erit legis transgressio, nullum peccatum. Qui non tenetur verum dicere, etiamsi vera dixerit apud prudentes inveniet nullam suis verbis fidem. O cæca judicia! quum confitentium in se dicta vera creduntur! Utinam civitatum moderatores ad animum hæc revocarent! Quum autem tam absurdus & pravus inoleverit mos, ut nullum indicium, nullum argumentum tanti apud judicem sit ponderis, quanti est propria reorum adversus se pronuntiatio; hinc non solum in regnis, sed & civitatibus liberis nisi sponte in se confessi fuerint, verberibus, aliisque

que gravissimis tormentis excruciantur. O barbaries! O belluinum factum! cur obsecro illos homines non equuleo dilacerant, qui non volant, aut lunam de cœlo deducunt? æque absurdum est homines doloribus fatigare summis, ut in se confiteantur. Fieri quidem potest, ut fideiculis cogantur os aperire & loqui, num autem vera loquantur, ac verbis illorum fides sit habenda, nemo mortalium certo scire potest. Intellego causari posse, non esse confessionem tuendam rei, si circumstantiæ occasionis, loci, temporis, similiaque plura indicia non confirment. Quasi talia fingi nequeant? prostant exempla multa innocentium à viris doctis adducta, qui vi dolorum confessi sunt delicta cæteris indiciis & collectis suspicionibus conformia. Videtis ergo nullum hic veritati locum relinquere. Addite quod multi ferrea patientia aut etiam arte quadam contemnant exquisitissimos dolores, quin etiam multi reperti, qui in equuleo extensi nihil cedentes, nihil confitentes, nec ejulantes nec lamentantes ne mutaverint quidem inter immanissimos cruciatus. Nec hoc sicco pede transeundum, quod sæpe in se vi tormentorum confessi denuo excruciantur, ut socios prodant. Quasi tales scelerati non omnem decoxerint fidem! aut ad fugien-

dos

dos dolores infantes denunciare non possint? ubi justitia, æquitas, charitas? ipsi tamen sævitæ pariteroni ex parte inhumanitatem tormentorum ad animum revocasse videntur, dum viros honoratos, & in dignitate constitutos è numero torquendorum eximunt, & qua quæso de causa? num ex amore justitiæ, aut clementiæ? virtutes hæ dudum ex iis tribunalibus migrasse videntur. Sed quia in alios sævire pro lubitu, se vero è tortorum manibus eripere volupe est. Cæteroquin dignitas auget crimina, non solum enim ipsi vitia concipiunt, sed ea in civitatem infundunt. Quo candidiora lintea, eo magis conspicuæ maculæ. Quo in illustriori loco posita, quæ intueri possumus, exempla, eo validius ad imitandum impellunt, adeoque plus corrumpunt exemplo, quam peccato nocent. Sed his similibusque exceptionibus, quas faciunt, ut diutius inhæreamus, necessum haud quaquam est.

Ut autem plenius, quotquot duntaxat communi sensu pollent, de iniquitate & inutilitate confessionis doloribus expressæ persuadeantur. Superiora animo recolamus tempora, quibus per totam europam milleni & milleni, imo innumerabiles si dixerim haud falsus ero, sine ætatis aut sexus discrimine ullo sævissimis tormentis excruciatii sunt, ut con-

fiterentur de suis epulis, choreis nocturnis, nuptiis cum diabolo celebratis, venere nefanda cum eo exercita, de sua mutatione in bestias & similibus putidissimis fabulis, quas delirantes aniculæ somniare solent. Post extortam confessionem non liberati, aut pristinae innocentiae famae restituti, non datus helleborus, quo deliria hæc expellerentur, sed Vulcano traditi. Proh Deum immortalem! quanta sævitia, quanta injustitia! Cernitis autem Aud. Hum. nihil tam stolidum tam ineptum ac infusum esse, ad cujus confessionem vi tormentorum non possint homines adigi, quippe facilius reperiuntur, qui se ultro morti offerant, quam qui dolorem diu patienter ferant. Non mirum profecto, quod hæ infelicissimæ victimæ medias inter flammæ Deum suæ innocentiae vindicem invocarent. Verum est, quod voce & scriptis sapientum virorum in quibusdam terris furor ille compressus sit, in plerisque tamen locis hæc immanis barbaries adhuc exercetur, incitante tum præjudicata opinione, tum crudeli credulitate, tum & avaritia fatianda horum miserorum bonis. Si barbaris Americanis, quos hispani pro innata sua superbia solo nomine homines censebant, ideoque ut pecudes mactabant, explicaretur detestabilis illa Europæorum

sævitia in tam splendida cognitionis luce degentium animo haud duntaxat stuperent, sed & toto corpore horrerent, imo fidem narrantibus non haberent. Quandoquidem ipsi non nisi in hostes bello captos crudeles esse solent, cæterum innocentissime viventes. Dicite mihi obsecro vos sævitix magistri, an illa anicularum confessio fidiculis expressa vera comprehendat facta? hoc si arbitremini, necessum est, Boeotum in crasso aere nati sitis, aut ablegandi Anticyras. Provoco ad conscientiam cujusvis sana mente præditi, num majorem verisimilitudinem non invenerit in Ovidii metamorphosis, ac Aesopi fabellis, quam in sagarum confessionibus, tam enim futilia, putida & à communi sensu aliena in iis continentur, ut animo comprehendere nequeam, quod infelices illas mulierculas non dederint potius sanandas medicis, quam carnificibus comburendas. Sane deplorandus mortalium stupor, qui ad tam horribilem crudelitatem homines impellere potuit. Vix fieri posse videtur, quod nefarii illi iudices nulla commiseratione erga miseros illos mortales affecti, nullo sensu clementiæ, mansuetudinis commoti fuerint, ut medelam aliquam huic malo adferrent, nisi sciremus, eam esse humani ingenii indolem, ut cum sæpissime ac omnibus fere

horis aliquid atrociter fieri vident, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis amittant. Quid igitur tandem superest, nisi ut convicti simus in confessionibus reorum cruciatu extortis cuncta esse fallacia, lubrica, & periculosa. Injustius itaque nihil, aut ab æquitate, charitate adeo abhorrens excogitari unquam potest, quam illos qui adhuc insontes sunt, excarnificare doloribus tam truculentis, ut vel eorum meminisse animus horrescat, luctuque refugiat.

Verum nondum fatis ærumnarum, quæ humanum genus premunt, vobis explicavi. Nam exempla ubi incipiunt, ibi non consistunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt. Abominandus ille torquendi mos progressionibus suis ipsum Dei cultum deformavit. Quis crederet! superioribus sæculis tribunalia exterminandi hæreticas, ut loqui amant, pravitates in plerisque europæ partibus constituta sunt. In quibus plura tormentorum genera reperiuntur, quam corporis humani membra sunt, ut five verum, five falsum fuerit, infelices homines confiteri cogantur dogmata ab illorum furciferorum sacris aliena. Hæc omnia dum cogito, tantus animum meum corripit dolor, ut ferme vox faucibus hæreat

reat. Sed nondum finis malorum! post perpeſſos immaniſſimos dolores, igni traduntur comburendi, ut bona illorum ſpurciſſimæ illae harpyiæ rapere queant. Quid non religio malorum à Deo Opt. Max. in bonum & ſalutem humani generis conceſſa, in crudeliſſimam ſuperſtitionem converſa peperit. Proh Deum immortalem! an lacerare membra, ferro & igne ſævire eſt demonſtrare? an veritas in animis fidiculis aut rationibus generatur? num falſæ opiniones ex mente pelluntur equuleo aut firma ratiocinatione? Quid vos viri doctiſſimi ubivis terrarum degentes in caſſum laboratis? ſudatis & algetis ut vera invenire & demonſtrare queatis? compendiarium vos viam docebunt crudeles illi ac impuri nequitiae ſacerdotes. Non ſolet humana uno loco conſiſtere malitia, ſed continuo progredi, hodie tam late ſerpsit, ut omne genus cruciatuum non ſolum uſitatiffimum ſit, ſed & aptiſſimum cenſeatur medium mutandi hominum opiniones religioſas, & quidem apud populos præ reliquis elegantiam ingenii & morum jaſtantes. Hæc dum mente volvo, luſtus & moeror opprimunt fere animum meum. O quantas gratias non debemus patribus noſtris, qui jugum hoc intolerabile à noſtris cervicibus ſudore & ſanguine ſuo depulerunt! qui ſum-

ma animi fortitudine nobis ex animo sentiendi & arbitrari libertatem nullo auro, nullis gemmis æstimandam pepererunt. Faxit Deus! ne unquam ignavi & degeneres nepotes libertatem hanc projiciant, & pedibus conculcent, novamque fervitutum serviant. Hi sunt fructus ex quæstionibus redundantes! siquidem vero ex fructibus arboris indoles cognoscenda, profecto arbor hæc mala excindenda & eradicanda.

Sed videamus, quid pro tormentorum necessitate & justitia obtendatur. Inter alios vir quidam doctissimus hoc pacto argumentatur. *Ponamus cives in comitiis deliberasse, utrum facinora, de quibus magna est præsumptio, non tamen liquida probatio, dissimulari, an per tormenta inquiri vellent. Si hoc metuendum esse, ne non insontes aliquando affligerentur, si illud, infinita scelera, quæ plerumque sine arbitris committuntur, impunita manerent, multoque magis crebrescerent, comparatis omnibus plus imminere mali ex hac infinita delictorum impunitate reipublicæ, quam è perversa quæstionis applicatione. Approbarent igitur ejus usum, & incommoda exin nascitura ferenda esse censerent. huic legi cives postea aggregati, æque ac aliis antea receptis assentiri intelliguntur. Quid arbitramini Aud. Hum. num hæc argumenta-*

tio liquido ostendit justitiam tormentorum? si mihi dicere liceat, quod sentio, nullarum virium est. Nulla talis deliberatio civium de quæstionibus in ullis comitiis instituta fuit teste omni historia, sed per tyrannidem introductæ, conservatæ per sævitiam, propagatæ per præjudicatas opiniones. Quid si largiamur talem consultationem factam fuisse, num propterea rationi talis lex consentanea? an reipublicæ salutaris? civium innocentiam & tranquillitatem conservans? si cives in comitiis ferrent legem, quæ injungeret, ut liberi parentes ad certam ætatem pervenientes necarent. num ideo lex ea justa, æqua & salubris foret? civitates æque ac privati cum ratione agere tenentur, siquidem felicitatem consequi velint. Cives rerum humanarum periti nunquam poterunt consentire in legem de quæstionibus. Quamvis enim suæ conscii innocentia, noverintque se toto animo averfari & odisse scelera & crimina, quum tamen cogitent innocentissimos aut casu & fortuito, aut sceleratorum improbitate accusari, ac in suspicionem gravium delictorum, consequenter in periculum acerbissimorum tormentorum venire posse, cum tamen eam solum ob causam se aggregent civitati, ut omnes molestias, pericula & mala vitare, ac securitate & tran-

quillitate frui queant, ergo nulla probabili conjectura statui potest, quod prudentes ac rerum intelligentes sint assensum præbituri ejusmodi legibus unquam, præsertim si quidem prævidere queant aliquando insontes affligendos fore. Præstat fane decem nocentes absolvi, quam unicum innocentem puniri, hoc securitas, hoc salus reipublicæ postulat, hic finis & scopus est omnium civitatum, ut innocentia custodiatur, ut virtus sarta tecta que servetur. Ex hisce videre est quam fragili & lubrico fundamento tota hæc nitatur argumentatio.

Usum illum torquendi reos fatentur quidem omnes habere aliquid ex iniquo, sed quod in singulos utilitate publica rependitur. At perperam hoc de immani hac sævitia dicitur; habet id locum in malis, quæ à reipublicæ moderatoribus nec consilio nec similibus aliis mediis provideri queunt, ut in bello aliisque casibus rarioribus. Verum in iis, quæ non raro, sed frequenter & singulis fere diebus contingunt, aliterque præcaveri queunt, non convenit sapientiæ & prudentiæ magistratum iniqua & sæva facere, quæ utilitate publica compensentur. Etenim foret hoc res inter se pugnaces conjungere ac serpentes avibus geminare & tigribus agnos. Abeant igitur in malam rem, qui immanem crudelitatem hoc colore tegere volunt.

Adverto autem ex multorum mente dici; si reos torquendi usus aboleatur, necessario pleraque gravissima delicta impunita manebunt, infinita sine testibus committuntur scelera. Homicidia, furta, adulteria, ut alia nefanda taceam facinora, minoraque silentio præteream, sine arbitris perpetrantur. Igitur quid erit, quo convincatur reus? quo iudex informetur? quid corrigendum aut puniendum? omnis tolletur securitas, urbs oppidaque latronum domicilia fient, hominesque instar ferarum mutuis se dilaniabant ictibus. Hæc si attento perpendantur animo, dubitandum haud videtur, quin utroque pollice approbandus quæstionum usus sit, nec vituperandus nisi à rerum humanarum imperitis. Fateor si ageretur de rebus nunquam usu probatis, sermo is speciem rationis haberet. Præsertim si in superioribus à nobis dicta ad animum non revocentur. Verum enim vero consulamus rempublicam Judaicam à sapientissimo Mose Nutu divino olim institutam & stabilitam, per multa sæcula conservatam, sæpe florentissimam. Nulla in ea locum habuit confessio scelerum fideiculis extorta, sed testibus aliisque argumentis iudices ad diſtandam movebantur pœnam, non minor tamen vitæ & fortunaram erat securitas, non magis latro-

nes metuebant quam alii populi. Ne autem quis arbitretur hanc populi judaici felicitatem singulari numinis providentiæ tribuendam esse. Rempubli- cam Romanam contemplemur, quæ terrarum am- plitudine, hominum multitudine, Rectorum vir- tute, sapientia, fortitudine, civium opulentia, fe- licitate omnes civitates superavit, nec parilis un- quam forte futura. In civem Romanum nulla ex- cecebatur quæstio, sed testibus & argumentis in crimina inquirebatur. Quoniam vero prisca & ve- tera non solent tam vehementer animum concute- re quam præsentia, ideo Angliam vicinum regnum adeamus, ibi nullis vexantur rei quæstionibus, non major tamen sceleratorum impunitas, ibi te- stes, indicia & argumenta in judiciis ponderantur, ac pro illorum gravitate pœnæ infliguntur. An minor ibi vitæ tranquillitas? an minor bonorum & fortunarum securitas? quam in his aliisque terris? quam in vicina Scotia? fallimini quotquot id cen- setis. Nec est, quod iudices tantopere metuant occultorum criminum impunitatem, illa ex ipso hoc capite non valde formidanda, nec magnam civi- tati injuriam infligere, nec civibus queunt, illi, quia occulta exemplum non præbent, & ad imitandum non impellunt, his, quoniam eo ipso aperta & ma-
ni-

nifesta fierent, & ad pœnam parata. Non impro-
 bari hac parte videtur Turcarum mos, qui mani-
 festa & comperta graviter puniunt, in occulta fla-
 gitia non valde inquirunt, ne locus calumniæ ape-
 riatur. Principes cupide occulta inquirentes cri-
 mina, impudentissimos furciferos excitant ac inci-
 tant, qui viris bonis, & in dignitate & ampla for-
 tuna constitutis insidientur, nec vexare eos desi-
 nant, donec vita & fortunis exuti fuerint. Tri-
 stissima exempla videri possunt sub primis Imperii
 Romani tyrannis. Sublata quæstione flagitiosos a-
 liquos impunes futuros non abnuo, verum hanc
 insufficientem esse causam retinendi tormentorum
 usum urgeo. Quandoquidem tormenta gubernat
 dolor, moderatur natura cujusque tum animi tum
 corporis. Si ingeniosiores, facile aliquid commi-
 nisci queunt, quo inquirentes fallant ac eludant.
 Si aut natura corporis, aut consuetudine dolendi
 aut metu supplicii vim tormentorum perferant,
 pœnam effugiunt. Valde miror, ut verum fatear,
 tam acriter urgeri quæstionum usum, ne scelera im-
 proborum impunita maneant. Quum certissimum
 sit, nec dolorum atrocitate, nec suppliciorum gra-
 vitate deterreri sceleratos, quandoquidem in ore
 illorum frequentissimum est, neminem, nisi antea

captus & comprehensus fuerit, in crucem agi posse. Magistratum vigilantia & severitas in puniendo sola sunt media, quibus mali coerceri queunt. Si quidem multis ac fidis ministris utantur, quibus instar oculatissimi Argi latebras occultissimas explorent, omnem effugiendi portam præcludant, ac spem evadendi præcidant, captosque sine ulla clementia severissime puniant, caveantque ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur, dubitari haud potest, quin omnes exterminentur scelerati, cunctique coerceantur facinorosi. Prout nemo gratis malus, sic nullus nisi spe latitandi aut pœnam effugiendi vel fur vel homicida esse volet. Si ambigatis, perlustrate quæ Romæ sub Gregorio decimotertio, ejusque successore Sixto quinto Pontificibus contigerint. Sub Gregorio, qui erat homo mollis, segnis & lenis, non solum Romæ, sed & in vicinis oppidis nemo sine cura & metu vivere poterat. Nocte ædes perfringebantur, & expilabantur, hominesque instar pecudum jugulabantur, pleno meridie in viis, in plateis spoliabantur & necabantur homines. Tanta erat sicariorum multitudo! tanta erat eorum rapacitas, & rabies! ut jure dici potuerit Romam esse latronum speluncam. Sixtus quintus incredibilem vigilantiam

ac severitatem adhibens, multis fidissimisque utebatur hominibus, qui ex abditissimis locis facinorosos extrahebant, ac sine ullo generis, sexus, ætatis discrimine severissime plectebant. Qua agendi ratione brevi temporis spatio tantum injecit terrorem, ut ad ejus nomen contremiscerent. Itaque tutissima ratio impediendi, quo minus delicta augeantur, ac improbi multiplicentur, est posita & collocata in vigilantia & judicum severitate. Rectores & Magistratus quotquot estis, Sixtum quintum Pontificem Romanum si imitemini, præstabitis civibus vestris securitatem fortunarum & vitæ tranquillitatem, absque eo ut miseros homines ante supplicium immani cruciatu dilaceretis.

Haud dubito, quin multi stupeant, & attoniti sciscitentur, quæ in orbem introductus fuerit barbarus & ferinus ille quæstionum usus, ac per tot sæcula apud cultissimos etiam Europæ populos conservatus? quantum mihi videre datum est, Orienti hoc malum debemus. Oriens à primis temporibus regibus assuetus, aut potius tyrannis, qui ad durissimam subditos cogebant servitutem. Legite obsecro gravissimam Orationem Samuelis in historia sacra ad populum Israëliticum petentem sibi regem, in qua Vates mores regum orientis vivis de-

pingit coloribus, & perspicietis Orientis tyrannos cives ut vilissima tractasse mancipia, inque eos, omne quod lubebat sibi licere opinatos, ad tegendam consequenter tyrannidem vi cruciatuum acerbissimorum adigebantur mortalium infelicissimi ad confessionem in se ex tyrannorum arbitrio edendam. Barbarum illud institutum ad Rhodios & Athenienses liberos populos mirum dictu? migravit, apud illos enim liberi civesque torquebantur. Apud Romanos solum in servos exercebantur quaestiones, non in cives, non in liberos. Mancipiorum vero apud illos tam misera & deplorabilis erat conditio, ut nulla iis potuerit fieri injuria, quadrupedibus assimilata fuerint, & ut ipsa impune occidere licuerit. Everfa Republica, ac libertate extirpata imperatores, saevissimi & spurcissimi tyranni cives & servos nullo discrimine habebant, cives aequae ac servos tormentis subiciebant. Hoc institutum cum legibus Romanis mansit apud populos etiam, postquam in libertatem se vindicassent, & quis scit quando abrogandum? cito enim solet arefcere lachryma in alienis malis, imo jucundum quadantenus est aliorum pericula spectare, non quia alterius malum volupe sit, sed quia suave est spectare ista mala, quibus ipse careas. Quando-

doquidem etgo per tyrannidem usus ille abominandus tormentorum in orbem introductus est, hinc videmus, quam horrendum & ingens monstrum sit tyrannis, contra quam optabilis & amabilis sit libertas? si itaque pro aris & focis pugnandum, acerrime profecto pro libertate, quoniam sine ea nullam suavitatem, nullam dulcedinem reliqua hujus vitæ habent. O fortunati qui nōrunt hæc sua bona? Utinam à prima infantia liberis cum lacte instillaretur libertatis amor? Qui liberas civitates in regna, inæstimabilem libertatem in fœdissimam mutare moliuntur servitutem, cunctorum indignationem & odium merentur. Sunt enim strumæ, carcinomata & pestes humani generis, qui aut infatiabili laborant avaritia, vel summa turgent ambitione, aut turpissima volutantur luxuria. Virtutis amor, temperantia, magnanimitas, animi fortitudo sunt præsidia, quibus tyrannis arcetur, ne irrumpat, ac multiplicem edat stragem. Marcus Cato olim de sui temporis regibus dixit, eos belluas ac de genere luporum rapacium esse, quid dixisset de illis, qui libertatem, qua fruuntur, vilipendunt, ac pedibus conculcant, qui servire non coguntur, sed volunt, ut dominantur, quique superos & Acheronta movent, ut liberis cervicibus jugum aspe-

rum & durum imponant, quique idcirco instar vilissimorum mancipiorum dominis adrepunt, & blandissima verba loquuntur; ridentibus arrident, & flentibus adsunt flentes. Sane eos procul omni dubio pronunciaffet esse dignos, qui à talibus belluis dilacerentur ac devorentur. Libertas autem non ex licentia vitiorum & scelerum æstimanda est, sed ex virtutis amore, animi enim vera & sola libertas in virtutis studio continetur. Qui affectibus serviunt, & mancipia avaritiæ, libidinis, intemperantiæ, ambitionis, luxuriæ sunt, non re sed solo nomine homines liberi sunt. Amplectamur itaque vitæ innocentiam, animumque firmemus & corroboremus præclaris factis, ut si nubila incidant tempora, calamitates variæ affligant, multæque molestiæ ferendæ, imo adversante fortuna tormentorum vi excarnificandi, ea animo constanti non mulierum lachrymis aut puerorum fletu feramus, & pectus incoctum generoso honesto opponamus. Fateor neminem omnibus sapere horis, nullumque esse, qui sine vitiis nascatur, felicissimum tamen, qui minimis urgetur. Datur igitur aliquod prodire tenus, si non ultra? magnam malorum nostrorum partem mitigabimus, ac tranquillitatem animi magis magisque augebimus, quod summum est, quod in hac mortali vita sperari potest.